



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Quomodo vna cum episcopis, conciliis interfuerit. Cap. XXXVII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**



*Quomodo vna cum episcopis, conciliis interfuerit.*

## CAP. XXXVII.

**E**T quanquam communiter erga omnes se talem præstitit: tamen ecclesiæ dei eximiam & peculiarem curam adhibens, cum quidam inter se in diuersis locis dissentione discordarent, tanquam communis episcopus à deo constitutus, ministrorum dei coegit concilium, & in media istorum frequentia ac congressu adesse, & vnà confidere non dedignatus, rerum in deliberationem vocatarum se fecit participem: easque res quæ ad diuinam pacem spectabant, omnibus procurauit. In medio confessu, quasi vnus è multis affedit: & quoniam dei timore vndique septus fuit, & amicis fidelibus maximeque beneuolis circummunitus, primum satellites amouit abs se, & totam stipatorum turbam. Deinde quos ex episcopis meliori menti consilioque obsequentes, & ad quietam & tranquillam animorum consensionem propensos animaduertent, eos vel maxime approbavit, sequensque declarauit ex communi omnium concordia maximam legitimitiam percipere: eos autem, qui animis essent obstinatis magnopere detestatus est.

*Insipientes quo pacto tulerit.*

## CAP. XXXVIII.

**I**Am verò quosdam sua sponte acerbè incitados, tolerantè & moderatè tulit, placido & mansueto sermone hortatus, vt modestè se gerere ac neutiquam seditionem concitare studerent. Ex quibus alii eius adhortationes cum reuerentia amplexati, discesserunt, alios, quorum animi ad modestiam videbantur propè insanabiles, deo curandos permisit, ac nihil omnino contra quenquam mente concepit acerbitatis. Inde vt est verisimile, seditiosi in Affrica eò audaciæ fortè proruperunt & crudelitatis, vt facinora nefaria molirentur, dæmone (vt videbatur) affluentiam præsentium bonorum Christianis inuidente, virosque ad absurdos & importunos conatus instigante, quò imperatoris animù contra eos cõmouerent. Verù inuido illi res parum processit ex sententia: quandoquidè imperator